

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōiōCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.
 DISPUTATIO
 EXERCITATIONUM PHILO-
 SOPHICARUM XXVII

De
**ANIMA RATIO-
 NALI,**

Quam,
 Deo clementer ex alto favente,
 SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,
 Liberalis exercitij gratiã defendendam suscipiet,
VVILHELMUSEGGELINGUS
 Cella-Saxo

In celeberrimã VVittebergensi Academia,
ad diem 14 Novemb. horis 8 loco solitis.

Chrysof. in Comm. super Epist. ad Roman.

Τὸ μὴ γέλειν πάντα τὰ βᾶθρ᾽ εἰδέναί, ἔμικρόν τ' εἰδέναί τεκμήριον.

VVITTEBERGÆ,
 Typis Iohannis Gormanni, ANNO M. DC. X.



su communi
 nes & con-
 o multa alia
 at phantasia
 conservatio.
 tione.
 e minime, sed
 mas univer-
 si presto sunt
 it, quam vim
 l. c. 4. & lib.
 xραγαυίδα
 ueitur. Has
 cum discreti-
 in concupi-
 vel boni, ut
 nia proveni-
 ib. 2. de An.
 andum, noxia
 e motu animæ.
 o aer infirmitat
 ut est incessus,
 um vigor, lib.
 exteriorum, ad
 culo ascenden-
 nsuere neque-
 um adminiculo
 onjeitari licet.
 vitationem i-
 anime so-
 minio speciem
 te 5. Sensus
 endo 7. Odo-
 ubi ratione est



VIRIS

Reverendis, Doctissimis & Spectatissimis
Dn. M. IOHANNI TIMMÆO
in aulâ Cellanâ Myſtagogo dignif-
ſimo, præceptori ſuo quon-
dam fideliffimo:

NEC NON

Dn. FRANCISCO BUFSMANNO
Dn. GEORGIO GRUNHAGIO
Dn. VVILHELMO STORCKIO

*Eccleſiæ Cellenſis miniſtris verbi vi-
gilantiſſimis,*

Dominis favitoribus ac promotoribus
ſuis plurimùm & ſingulariter co-
lendis.

*Hanc evχρησιον de anima rationali in grati animi testi-
ficationem, ſuiꝛ commendationem,*

meritò

&

libens

libat

&

offert

VWilhelmus Eggelingus Cella-Saxo.

P R Æ L O Q U I U M.

Quod Subtilitatum seu patens seu professor Scaliger, non me-berclè joculariter, sed ubiq; graviter clamare solitus fuit, Nos nihil scire, Exere 12: Hoc vel maxime & primaria ratione convenire disquisitioni de Anima Rationali, modis videtur omnibus. Quam enim illa intricata, quam plena obscuritatis? In qua id ego tractatoribus usu venit vero verius crebroq; crebrius, quod illis, qui in oeno harent, dum pedem alterum quo sese expediunt tollere nituntur, alius alterum figunt, ut idem ille Scaliger alibi loquitur, in Ex 130 Sect. 2. Essentiam ipsius considera: Ibi præstantissimi ad unum omnes Philosophi semper eam potè admirandam, quam rimandam, quâ in hac rerum caligine versamur, candidè censuere. Productionem ejus expende: Arsanam eam modis omnigenis stupendamq; certius certo advertes. Eandem in facultatibus suis quibus instructa est, & operationibus, quas istis mediantibus edit, contemplari cupiscis? Fuere & hæ sapientibus omni temporis ævo non tam admirationi quàm stupori. Quam ob causam & Augustinum ejus non penituit esse sententiæ, cognitionem animæ ex illarum censu esse rerum, de quibus sacra prædicant oracula, Altiora Te ne quaeris, in lib. de Orig. An. 0. 4. Neq; non meritò amplissimus Philosophorum Seneca, inquisitivus super hac re & præstius differens, rectè & condignè dixit: Multa sunt, quæ esse concedimus, qualia sunt, ignoramus. Habere nos animum, cujus imperio & impellimur & revocamur, omnes fatebuntur, quid tamen sit animus ille, rectorq; dominusq; nostri, non magis tibi quisquam expediet, quàm ubi sit. Alius dicet esse spiritum, alius concentum, alius vim divinam & Dei partem, alius tenuissimum aërem, alius incorporalem potentiam, non deerit, qui sanguinem dicat, qui calorem. Adeò non potest liquere de cæteris rebus animo, ut adhuc ipse se quaerat. & 0, in lib. 7. Nat. q. 9. 0. 24. Cum verò, ut prostritum eq; peritum viâ mediâ veriverbum habet, aliquid præstet semper nibilo, ac in Magnis & Voluisse sat sit, allubescit hac vice, considerata hætenus in progressis Exercitationibus Anima & Vegetante & Sentiente, etiam aliquid pro nostræ cognitionis modulo, non subtiliter sanè, verùm utiliter de Anima Rationali exquirere veri, ita ut ejus cognitionis non curiosi, sed studiosi esse videamur. Quocirca super hac re, cognitu summè necessaria, tractatūq; utili maxime, insequentia zæcula diligentissimè animo, eoq; intento, voluenda sunt.

T H E S I S I.

VT à finitione ipsâ fas sicuti est & decens, cum tò oti hic nimis sit manifestarium, ordiamur, est Rationalis anima substantia spiritualis, hominis corpus informans, à quo si separatur, immortalitatem sibi habet adjunctam, cum volendi & intelligendi eminentiâ: Substantia dicitur, tum quia cūte λέχεια est & perfectio, tum quia sustinet accidentia variasq; actiones, tum quia radix, fundamentum & primum est operationum & motuum principium, lib. 1. de Anima c. 2.

II. Et ea quidem substantia est non corporea, cum talis non possit simul esse cum alio corpore eodem in loco, validè siquidem ipsa rerum Natura hoc prohibet, & nullo admittit modo; Res autem sic habeat se cum Anima, ut

eodem cum corpore in loco sit, *Ibid.* t. 72; At spiritalis seu immaterialis, licet incompleta, dum corporis est naturalis perfectio, quod appetit, ac cum quo conjuncta, unum efficit ὁμοῦς ἕν.

III. Atque ita altera substantia hominis animae rationalis pars est, & nobilior & potior tamen, informans quippe totum corpus, Esseque ipsi praebens ac conferens specificum: Cum enim Homo à bestiis ceterisque animatis rebus hac Anima unice & solide distinguatur, cumque eadem operationis ejus, quae Hominis est propria, intelligentiae scilicet & voluntatis, sit principium primum; Nemo non inde intelligere habet, ipsum germanam Hominis esse formam.

IV. Eapropter non tantum in toto corpore secundum essentiam suam est tota, inque parte ejus qualibet; verum etiam complectitur ac continet sub se reliquas formas substantiales, vegetantem maximè & sentientem animam, hanc secus ut in circulo comprehenditur quadratum, vel ut in quadrato continetur trigonum, vel denique ut in perfectio imperfectum. Sicque in uno corpore una est anima numero (Φύσις γὰρ ποιεῖ ἓν ὅπως ἐν, lib. 11. Met. c. 4.) licet illa diversas habeat facultates, quae non essentiam partibus dirimunt, sed ad diversa opera edenda in habilibus organo aptam faciunt.

V. Cum verò eadem Anima rationalis libera sit ab omni nexu materiae, expers insuper omnis passionis, propriasque quasdam sine organo corporeo perficiat actiones, lib. 3. de An. t. 4. & 6. & lib. 1. t. 34. lib. 1. de Gen. t. 41. lib. 7. Phys. t. 20. Ideo, ut in obscurum Definitio ejus adducta desert indicium, merito Immortalis statuitur, ac cum corpore exierit, superesse, nec unquam interire, rectè adseritur.

VI. Et nos quidem ex sacris certò scimus oraculis, Illam corporis compage solutam in absconditâ illâ luce apud Deum ad resurrectionem usque, residere, novisque olim induvis cinctam aeternâ beatitudine fruituram. Philosophi verò naturali mentis acie quasi per transennam hanc Anima immortalitatem conspexere, & inter illos maximè etiam Hercules ille Philosophorum Aristoteles, ut conceptis quasi verbis testatur in lib. 1. de Anima t. 65. & lib. 3. t. 19. & 20. lib. 12. Met. t. 17. lib. 1. Ethic. c. 11.

VII. Praeter autem cetera, quae Plato super re hac latè tamquam doctè differtat, ut videre licet in Phaedro sol. 344. in Apol. Socr. in lib. 10. de Republ. f. 516. illius ἀθανασίας argumento etiam est maximo, tum quod Animae actiones in futurum propendent, nec unquam presentium sat agunt, neque tempore circumscribuntur, sed ad usque aeternitatem aspirant: Prout autem res sese habet ad operationes, sic & ad Esse ipsum.

VIII. Tum quod eadem cognitione suâ supra mortalia longè assurgit

cognoscendo res aeternas, prout sunt aeternae, & distinguendo inter mortalia
& aeterna; Nihil autem seipso maiora comprehendit: Tum quod infinitam ha-
bet capacitatem & potentiam cognoscendi, quam aliquando impleri & ter-
minari oportet: Tum denique, quod communis omnium penè populorum & gen-
tium consensus vult, Animam interitui haud obnoxiam esse; Quanti autem
τῶν ποικίλων, καὶ παλαιῶν, καὶ τῶν ἐνδόξων censura faciendā sit, lib. 1.
Erb. Nic. c. 8. decisum est.

IX. Cum ergo satis jam in claro sit animam esse immortalem, rationeque
finis aeternam; ulterius hic nec temerè nec inconsideratè quari potest, Vtrum
principium habuerit, nec nò? Vbi ad firmitatè per omnia hoc ponimus, in tem-
pore ipsam suam sortiri initium, quia aeternitas strictim sumta nulli creatu-
rae, (creatio enim omnis fit in tempore) qualis & est anima, verum soli crea-
tori competit.

X. Inde ex facili hoc haberi potest animas à Deo vel immediatè creari,
vel parentum ministerio intercedente medio, corporibus immitti, tertius n. mo-
dus haud dabitur: Non a ullà ratione, qualis illa qualis tandem effingatur,
creantur, cum quia benedictio divina, Gen. 1. v. 28. generis humani multipli-
cationem ac incrementum ad ipsos transfert Homines, perindè ut & in bru-
torum multiplicatione eadem benedictionis formulā nullam Deus omnino
immediatam creationem, sive animae sive corporis adscribere sibi voluit, sed
utriusque productionem in solidum generationi attribuit.

XI. Tum quia aliàs filius, in quantum talis, haud aliter ac vitā, qua ab
anima, & qua destitutus est, quousque filius, carens, à vivente seu patre, specie,
imò toto genere, discreparet: Tū quia res naturalis in medio naturae cursu nō
naturalis sed supernaturali modo produceretur; Qua ratione Adamī creatio,
quo ad formam, non miraculosior quàm nostra, esset, eadem nam utrobique cau-
sa efficiens, eodem quoque modo agens, quod à ratione omni valdè est alienum.

XII. Tum demum, quia à Deo aliàs crearetur aut impura, sicque ille per
se esset alicujus impuritatis & operis mali causa, quod vel cogitare impium est
& nefas; Aut pura, & ita omnigenis laborat justitia Dei modis, qui se. in cor-
pus eam conjicit peccato obnoxium, ubi peccatorum sordibus citra meritum o-
mne suum ac voluntatem ex quapiam necessitate conspurcatur.

XIII. Quocirca invictè collectu est, animas parentibus mediantibus à Deo
produci & propagari, non secius ut Leo animam leonis catulis suis ingenerat,
non partiendo propriam, nec totam transmittendo, sed per vim, ut vocant, pro-
lificam, in semine reconditam proximā ad leonis formam potentiam excitando,



Hocq; per generationem ad actum secundum traducendo, sicuti & ignis nec in chalybe nec silice actu, sed sola potentia latens ex collisione & attritu utriusq; resultat, nec aliunde, sed ex ipsismet lapide & chalybe oritur.

XIV. Ac convenit ex asse sententia hac, tum cum scriptura, ut patescere potest ex Genes. c. 15; v. 4, & c. 46, v. 26. 2. Reg. 7. v. 12. Hebr. 7, v. 9. & c. Tum cum fidei analogia, & maxime cum originali peccati propagatione, quod non per contagiura contracta, sed ingenita est labe, non corporis solius, nec anime solius, sed totius Hominis vitium, à parentibus in prolem seminatum.

XV. Tam deniq; cum sanã ratione: Homo siquidem, Philosophum iuxta, lib. 2. Phys. t. 26. generat. Hominem; si igitur Homo naturaliter generatur, indubium Esse suum per generationem accipiet, quid enim aliud est generatio? Hoc autem humanum Esse accipere non potest, nisi mediante animã, quavis namq; res, quod est, est per suam formam: Quare generatione accipiet & Animam.

XVI. Cui accedit axioma hoc nimis decantatum, quodvis generare, generatione scil. univocã, sibi simile, quo ad speciem: Prout igitur planta generat specie sibi similem plantam, ut forma ejus non extrinsecus adveniat, sed ingeneretur; sic & Homo hominem specie sibi similem generat, ac dependenter & ipsius animam. Quo enim planta planta, homo homini est similis, id aliunde non est, quàm ex generante: Illud verò anima est. Sed enim per plurima hic, in & ad rem hanc valide facientia, jam subselliis otiosiorum rellinquenda sunt, inq; Exercitationem mittenda ipsam.

XVII. Ultima verò definitionis, supra allate Animæ rationalis, verba perspicue innuunt, habere eam, Animam puta intelligentem, objectorum ratione facultates duas, Intellectum nim. & Voluntatem: Ille res intelligibiles intelligit, cognoscit atq; dijudicat; Vnde operatio ejus dicitur Intellectio, quæ est & actio, quã suã vi internã mens intelligit, & passio quadam, quã species apprehendit intelligibiles, lib. 3. de An. t. 2. & 3.

XVIII. Itaq; est in multis Intellectus similis sensui, tum quod cum sensuum intellectus formas & species rerum possint recipere, non actu sed potestate eas in se contineant; Tum quod uterq; est ἀπὸ τῆς ἡσυχίας, intellectus à passione non perficiente, at perimente; Tum demum, quod ut sensus percipiendo res sensibiles actu fit ipsa sensilia: sic intellectus res percipiendo intelligibiles, actu fit ea que intelligit, secundum scil. formam & speciem, Ibid. t. 38.

XIX. In multis tamen & ab eodem discrepat, partim quia sensus est potestate sensibile, non quodvis, sed certum aliquod & determinatũ; Intellectus

verò

verò potestate est omnia, *Ibid.* t. 42. Ille mixtus est & compositus; Hic à partibus & impermixtus. Ille semper aliquà corporis parte utitur; Hic inorganicus est & separatim etiam intelligere potest. Ille res compositas, & ipsum tantum rei esse; Hic res simplices percipit, & insimul rei essentiam cognoscit.

XX. Pro objecto enim habet Intellectus omnia τὰ νοητά, sive è numero ac censu sint τὸν ἀπὸ λῶν simplicium, sive sint composita, & cum materia concreta, in quibus aliud est ipsa res, & aliud rei essentia; Sive etiam illa Universalia, id quod dubium non habet, & ex scientiis, circa quas Intellectus occupatus tenetur, & quæ non nisi universalium sunt rerum, clarissimè patet; Sive singularia fuerint, *lib. 1. Phys. t. 49. Scal. Ex. 307. Sect. 16.*

XXI. Sic namq; Intellectus discrimen facit inter res duas singulares, siquidem Experienciâ teste Aristoteli & Platonem discriminat, quod prestare ratione posset nullâ, nisi utrumq; cognosceret: Sic idem discrimen ponit inter singulare & Universale, ergo utrumq; propriè ac distinctè percipit. Quid? quod prudens cognoscat suas operationes, quæ tamen singulares: Quid? quod Deus verè singularis sit & cognoscatur, sic materia prima, sol. &c.

XXII. Objectum autem Intellectus, si præsens, omninò quod necesse, ipsi fieri debet, requiritur, ut in intellectu præter intellectionem detur aliqua species, non solum expressa, quæ conceptus & verbum mentale vocatur, & intellectionem in re terminat: Sed etiam impressa, quæ vocatur intelligibilis, & rationem atq; formam intelligendi præbet, ultimam complens virtutem agentem Intellectus, ut possit in actum intelligendi exire, *Scalig. Exerc. 307. Sect. 6. & 21. 2.*

XXIII. Quid autem hæc species intelligibilis sit, quæstio est & summa, & difficultate vix ullâ inferior: Minimè verò illa est substantia, quomodo enim aut quibus machinis ea se intulit in sensum? Idem, *Ex. 307. Sect. 21.* Neq; est pura pura ad objectum relatio: Quis enim hæc intellectum moveret? Verius igitur, unius verbi nota, accidens est spiritale, quod à phantasmatibus à phantasia intellectui transmissis abstractum rem materiale representat.

XXIV. Caterùm non solum alia intelligit Intellectus, verùm & semet, & operationes suas, non quidem per speciem directè ut cætera Entia materialia, sed unum ex altero arguendo & per reflexionem, quâ sibi præsentissimus, persentit atq; cognoscit ab se Entia intelligi, atq; idcirco se esse intelligentem: Quâ sit equidem ratione, ut idem sit quod intelligit & quod intelligitur, hoc est, ut intellectus intelligat se intelligere, & se intellectum esse. *lib. 3. de An. t. 11. Scalig. Exerc. 307. Sect. 9.*

Quo?

XXV. Quo pacto ipse Intellectus quoque, re & substantia unus, ob diversum intelligendi modum duplex censetur, Patiens & Agens: ille est, qui species & formas rerum in se recipit, receptas superveniente intellectus agentis illustratione cognoscit, Lib. 3. de An. c. 4. 5. & 6. Habet autem triplicem considerationem, 1. enim consideratur, quâ nil continet in se eorum quæ intelligere potest (unde & accommodatè tabula rasa assimilatur, ibid. t. 14.) Quo respectu vocatur intellectus potestate, non actu.

XXVI. 2. Quâ aliquomodo continet ea, quæ intelligenda sunt, sed jam non intelligit: Quo intuitu vocatur Intellectus ex habitu, sicuti dormientes intelligentes dicimus. 3. Quâ attenditur in actu secundo scilicet, quando ab intellectu agente illuminatus in ipsâ jam operatione versatur, perque specie, quàm recipit, res cognoscit. Ibid. t. 5. & 8.

XXVII. Agens intellectus est, qui species in partibili mente recipi, receptas & potestate intellectas facit actu intelligi. Ut enim colores, qui potestate sunt visibiles, actu non videntur, nisi lumine collustrentur, ita res intelligibiles per speciem in patiente intellectu impressæ, actu non intelliguntur, nisi dum ab agente intellectu illustrantur, Ibid. t. 18.

XXVIII. Intellectus verò in actu constitutus, commodum dividitur respectu quidem finis in Theoreticum, qui cognitionem, & Practicum qui opus aliquod spectat: Ibid. t. 20. Respectu verò noëmaturum in simplicem, qui simplices rerum notiones cognoscit; Et in compositum qui res plures ad rationis tribunal revocat, Ibid. t. 21. Estque hic iterum vel Noëticus, qui simplices res componendo atque dividendo: Vel Dianoëticus, qui ab uno ad aliud progrediendo, partimque ratiociniis unum ex alio deducendo, partim verò compositas sententias & ratiocinationes coordinando, plura noëmata disponit.

XXIX. Porro voluntas vis est Anima rationalis, quæ ea, quæ ab intellectu percepta & pensitata fuerint, si vel verè vel apparenter bona sunt, eligit, sin mala, aversatur & rejicit, & hoc liberrimè & ex sua natura: Actiones ejus summarimò dicendo, sunt Velle, Nolle, actiones suspendere, uti & assensum &c. quæ apud eos, qui virtutis studio operam dicant suam, bonæ omninò sunt, apud illos qui secus, male.

XXX. Hæ singule & universæ actiones in Elicitas dissepuntur, quæ liberè in & per se absque potentiis aliis à Volendi facultate scaturiunt. Et in Imperatas, quæ inferioribus potentiis, ut Locomotive & Sensitivo Appetitui, ad obsequium modò magis, modò minus aptis, injunguntur. Atque hæc, hæc vice sobriè de Anima rationali differere placuit, siquæ optatum portum totius Physiologie firmæ rate attingimus: Omnis Boni oceano Laus & Gloria inter nos vivat & vigeat æterna.

ADJECTANEA.

1. Hominum non una est omnium animas. 2. Individuorum a. anime humanorum equæ sunt perfectæ. 3. Pythagoræi animas ad alia corpora migrare, & vane & impie docuerunt. 4. Ut & illi, qui statuere ipsas divinæ esse particulam essentia. 5. Intellectus prius cognoscit singularia quàm universalia. 6. Ac practicus Intellectus à voluntate maxime discrepat. 7. Nihil est in mente quod non fuerit in sensu. 8. Unde etiam ante primævam intellectiōnem nulla intelligibilis species in intellectu datur. 9. Volendi principum non externum, sed est internum. 10. Astra in Intellectum & Voluntatem juris nil omninò habens.

F I N I S.

Umg. VI 26


= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



A. A. C. C.
DISPUTATIONUM PHILO-
SOPHICARUM XXVII

DE
A RATIO.

ALI,

Quam
inter exalto favente,
B PRÆSIDIO

Æ T I L E M A N I

colleg. Philos. Adjuncti,
gratiâ defendendam suscipiet,
MUSEGGELINGUS
Vitellosa-Saxo

Vittebergensi Academia,
Novemb. boris & loco solitis.

Comm. super Epist. ad Roman.

Ἐπιτομὴ τῆς ἐπιστολῆς εἰς τὸν Ῥωμαῖον,
ἡ ἑκ μέρους τῆς
ἐπιστολῆς τεκμήριον.

VITTEBERGÆ,
Gormanni, ANNO M. DC. X.

